



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 11. SS. Menstruorum sortitione multos vtiliter moneri, de moribus emendandis; aut quod mortem in procinctu habeant, quam subesse non arbitrarentur. Et cautela circa menstruorum Sanctorum abusum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](#)

gressus oratorium Davidici carminis sumo librum, ut scilicet apertus aliquem consolationis versiculum daret. In quo ita repertum est: Edixit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. Interea ingressis in flum super pontem, qui duobus litoribus ienabatur, nauis illa quæ Leudastem vebat, demergitur: Et nisi nandi fuisse administriculo liberatus, cum socijs forsitan interiisset. Nauis vero alia, quæ huic innexa erat, quæ & vindos vebat super aquas, Dei auxilio, eleuatur &c. Quod & versiculo Psalmi respondebit, & quæ postea euenerunt, significauit. Nam innocentia è fluctibus his emersit, & calumnia naufragium fecit, mala omnia, quæ machinata fuerat, in capita authorum retorquens. Ad hunc modum, vt supra memoriaui, à multis pijs viris hodiisque, libellus de Imitatione Christi, tempore tentationis aut tribulationis, aperitur, sempérque aliquid occurrit, quo mens eorum roboretur, & ad aduersa toleranda confirmatur.

## §. XI.

SS. Menstruorum sortitione multos utiliter moneri, de moribus emendandis; aut, quod mortem in procinctu habeant, quam subesse non arbitrarentur. Et cautela circa menstruorum Sanctorum abusum. D 4 Eo-

Eodem potest reduci menstrua Sanctori fortitio , supra à nobis laudata ; in qua non solùm pij homines ad cultum Sanctorum excitantur , sed sæpe etiam , diuina dispositione , eius quis virtutis commonefit , quia maximè indiget ; aut illo vitio abstinere iubetur , cui præcipue indulget. Quin & sententia persæpe fuit accipienti schedam valde accommodata. Scio cuidam , *Meditationem mortis* , eo mense , obuenisse , quo mortuus est : alij eodem die. Cuius rei vel hoc ipso , quo ista in lucem eduntur Anno Christi 1644 . duo recentia exempla contigerūt , vnum mihi domesticum , alterum vicinum. Fratrem Ingolstadij habuimus industrium , laboriosum , diligentem , nomine Ioannem Nicolai Steingadensem , omnibus de pietate & fraterna charitate acceptum. Is prid. Cal. Februarij sanctum menstruum , de more , accepit ; qui erat S. Blasius , cuius festus dies in tertium Februarij incidit. In scheda Sancti non solùm *Meditatio mortis* illi commendabatur , verùm etiam sententia ipsa vigilem esse iubebat. Tertio postea Februarij die , non procul Voburgo , cōmuni via , per rium resolutis niuibus repente profundum ac rapidum , in curru , transiturus aquis

aq̄uis haustus est; cum pridie, post peccatorum suorum confessionem, sacrosanctā Eucharistiam, velut in viaticum, præsum-sisset. Subita ea mors fuit; sed, ne impro-uisa esset, sanctus eū menstruus admonuit. Et verò illum monitionis memorem fuisse, testata sunt gemina flagella, quæ, cum Rosario, apud eum defunctum, reperta sunt. Nempe dum etiam, ex negotio, itinera faceret, corpus admonere voluit, ne exorbi-taret. Atq; hoc est domesticum exemplum. Alterum vicinū, ad Ingolstadiensem hanc Academicam Sodalitatem Partheniam; ma-ior Congregatio Landishutana, his verbis perscripsit. *Extulimus, his diebus, funus, cha-riſſimi Sodalis, Nobilis Domini Onuphrij Kreitmair: qui olim Ser. mo. Electori Bauaro à cubiculis, ad extreum p̄fectus Arci Lan-dishutanae fuit: vir magnis & religiosis etiam virtutibus ornatus: ut videri posset, in tem-plis potius, & Marianorum sodalium catu, quam domi sua degere: tam in illis, ut & sa-cramentis obeundis, frequens erat. utq; vi-uus, publicum exquisitæ pietatis, ac integerri-mæ vitæ fuit exemplar, ita mortuus, tum ci-uitati nostræ, tum nobis in primis dedit lugen-di argumentum. Lentum hydropem, aliaque fatalis morbi incommoda inuicta patientia ita*

D s      tole-

tolerauit; ut nullo quidem acerbioris vita fa-  
stido, sed diuinæ voluntati, cui se totum per-  
mittebat, obsequendi alacritate, mori gestiret;  
quam in rem pridie, quam obiret, in sortitione.  
Diui menstrui mortem meditari est iussus. Vi-  
tam itaque, quam adeò inculpatam exegit, cū  
morte, vel rectius cum meliori, ut speramus,  
vitâ commutauit. Pro cuius anima, ut su-  
mus diuinæ sententiae ignari, DD.rū VV.rū  
piacularis ex fadere preces imploramus: idem,  
in pari causâ, cum fide præstituri. Landishu-  
ti 6. Martij. 1644. Illustrius quiddam sub-

**Ex Geni-  
is Philip-  
pi VVil-  
helmi  
Com. Pa-  
latini in  
Oliua Ia-  
gellonia.** iungam. De Anna Caroli Austriae filia,  
Ferdinandi II, sorore, Sigismundi III. pri-  
ma uxore, Vladislai Regis, hodie Polonis  
imperantis matre legimus, eam Tutelarem  
sibi, in menses singulos alium, pro Sadalitatum  
Deiparae sacratarum more, sortito delegisse, cui  
dum inscriptam sententiam acciperet: Memen-  
to homo, quia puluis es &c. cœn mortis com-  
monita, omnibus se munijt, ad obitum, Sacra-  
mentis, ac discessit è vita An. 1598. Pietatis,  
Religionis, Innocentie, Clementie, Modestie,  
Castimonia, verbo, virtutis speculum. Sancto  
virtus aliqua, aut actio virtutis ascribitur,  
illo mense, in primis exercenda. Iracunda  
& ignoscere nolenti mansuetudo, & com-  
memo-

memoratio patientiæ Christi , in scheda  
porrecta est , & profuit. Nam, posita ira,  
inimico ignouit , & postquam illam sen-  
tentiam legit : *Omnis amaritudo , & ira , & Ephes. 4.  
indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à  
vobis , cum omni malitia , aduersarium salu-  
tare suauiter , eique benefacere cœpit.* Mil-  
le hîc sese exempla offerunt , vno adhuc  
contentus ero , quod Anno 1606. Ingol-  
stadij itidem contigisse in hunc modum  
narratur : *Inuenis fuit , qui , ut vel morbi Hierem.  
sanitatem , vel certè Mundi blandicias euad-  
eret , D E O sese denouit , & Religioso sta-  
tui. Morbus abiit , & brevi pòst , bonum hoc  
propositum cum illo. Sensim enim quidquid  
pietatis in morbo hanserat , euanuit , & ita in-  
uenis iste , post restitutam corporis valetudinem ,  
agrotare primùm cœpit animo , & post persana-  
tum morbum , peius habere. Principio quidem  
feruebat , & volabat , pòst paullo lentiùs ibat ,  
deinde stabat. Sed nec diu , nec impigre ; mox  
languere incipiebat ; tandem aperte vitiorum  
dulcedini succumbebat. Nam mundi facies ,  
quaे prius terribat , iam arridere ; religiosus sta-  
tus , qui antea placebat , iam terrere ; societas  
bona , qua gaudebat , displicere incœpit. Ita mi-  
ser tam suauiter & facile obliuisci potuit pri-*

mūm

Hierem.  
Drexel. L.  
z. Tris-  
megisti.  
c. 7. §. 3.

mum voti sui; dein sui ipsius; postea oeli; deum ipsius Dei. Ita paullatim per gradus ibat, sed non ad calum: tendebat in præceps, sed via molli & clementer declivi. neq; enim repente pessimus factus est; at qui hodie fuit aureus, cras vix argenteus repertus est; breui post æreus; exinde ferreus: deniq; factus est luteus, & ipsum cenum. Ita prodigus ille Euangelicus primo patrimonium repetit: hoc impetrato, in regionem longinquam abijt, parentisq; oculisse subduxit. Neq; hic stitit: prava etiam sociati se iunxit. Nondum finis. Ea tandem fecit, quæ socij & sociæ; gula & luxuria in quotidianos mores transferunt. Ita, ad mentem Siracidae, est processio in malis viro indisciplinato. Hoc plane modo iuuenis ille, de quo capi dicere, sensim seipso deterior factus est, & è sancto, progressu temporis, in improbum mutatus. Hoc ferè solum retinuit boni, quod Beatisimam Virginem & Marianæ Congregationis cætum non penitus deseruerit, sed subinde se præsentem stiterit, saltem in ceremoniam. Ita factum est, ut, statu die, cum ceteris, M E N S T R V V M S A N C T V M acceperit, & quidem S O R T E prorsus diuina. Nam sententia qua pronunciata est, dum ille, ante crucifixi signum, ex more, flectit genua, è mellifluo doctore Ber-

Eccli. 20.  
9.

re Bernardo transcripta erat, hisce omnino verbis: Quid tardas ipsum, quem iam dudum con-  
seperas, spiritum parturire salutis? nil morta-  
libus vel morte certius, vel incertius hora mor-  
tis. quo modo viuere potes, ubi mori non andes? Audijt hæc iuuenis tacitus quidem, sed, quasi  
fulmine ictus, monitorem è cælo agnouit; & il-  
lo statim die fugam è lubrico in tutum parauit,  
altera verò luce, hilaris & alacer ad Religiosam  
domum contendit, ijsq; se aggregauit, quos diu  
fugerat, victurus illic, ubi mori non trepidaret.  
Sic multos tetigit Deus sorte chartacea, &  
veluti ceruos fugientes iaculo amoris vul-  
nerauit. Tria tamen h̄ic monenda censeo.  
Primum, eiuscmodi sententias Sanctis  
Menstruis subiunctas, semper posse trahi  
in utilitatem, si aut virtutem inde discamus  
amare, aut vitium detestari, de quo sen-  
tia meminit. Secundum, vti non est niens  
Congregationis alicuius, per eiuscmodi  
shedas hariolari, aut futura pandere; ita  
neminem Panico terrore sibi persuadere de-  
bere, diuinare se inde posse, aut coniçere,  
quid in hac vita immineat. Nam, v.g. li-  
cet vitam emendare possit, ne morte præ-  
occupetur, qui in Menstruo sancto memo-  
riam Mortis exercendam accepit; stultissi-  
ma

S. Bern.  
epist. 105.  
ad Roma-  
num, Rō:  
curiæ  
Subdia-  
conum.

ma tamen se anxietate cruciaret, si inde certò existimare vellet, sibi illo mense esse moriendum. Tertiū est; pessimos esse Sodales qui, dum nihil pensi habent, de quo morbo ipsi, per eiusmodi suffragia, monantur, tamen sitientissimè attendunt; quid alijs legatur; putantque sinistram suam de alijs opinionem, etiam diuino testimonio, per eitismodi sententias, confirmari. Quare si humilitas alicui commendatur; ea medicina iudicant, superbiam eius notari; si liberalitas; En, aiunt, qua virtute indigeat auarus? Nempe hic est astus mali dæmonis, vt pietas abeat in risum; & metuat accipere Sodalis; unde erubescat.

## §. XII.

*Quenam Sortes diuisoriae licite sint, & quibus conditionibus?*

Sextum documentum. *Sors diuisoria Polonica ciuilis* licita & vtilis; ac aliquando penè necessaria est. Licta, quia iure ac probis legibus recepta, & consuetudine optimarum Rerump. confirmata est. Hac sorte vñi sunt Romani (& Siculi Athenenses fecuti) in iudicibus legendis, prouinciisq[ue] assignandis, item in herciscunda familia, in militia; & cùm dubium esset, qui

**Sigoni.**

**lib. 2. de**

**iudic. c.**

**12. ex Af-**  
**conio. &**

**lib. 3. de**